



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

Qvæst. 1. Quid est Elementum, & quot sunt.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)



*Respondeo*, si loquamur de actione, per quam ignis, verbi gratia rarefacit aquam, aut quaecumque aliam substantiam, quod consistat in calefactione, non quidem quatenus calefactio est formaliter, quia ut sic habet facere illam substantiam calidam, & per hoc præcisè non habet rarefieri; sed quatenus ad eam sequitur, quod dilatetur partes corporis rarefacti per intromissionem alterius corporis. Si vero loquamur de rarefactione quatenus præcisè habet dilatare illas partes per illam intromissionem, consistit in actione per quam producit illa partium extensio & intromissio alterius substantiæ.

*Et si quæras*, in quam ex his actionibus simpliciter, & formaliter debet dici consistere?

*Respondeo* quod in posteriori, quia per illam solum corpus rareficeret, si esset absque altera; per alteram vero non rareficeret, si hæc non esset; unde mihi videtur quod illa actio productiva caloris aut cuiuscumque alterius qualitatis, ad quam sequitur illa extensio, dicatur rarefactio eo modo, quo actio quam habet homo circa materiam convertendam in substantiam hominis, dicitur generatio, quatenus scilicet est actio, ad quam connaturaliter sequitur generatio.

## DISPUT. XXVII.

## De Elementis.

**D**VOBUS locis solet tractari de elementis cum Philosopho, & in libris de Cælo, & etiam in præsentibus, in quorum secundo de iis solis & spectantibus ad ipsa agit Aristoteles. Ideo autem eorum consideratio ad hos libros spectat, quia cum actum esset de generatione, & corruptione corporum in communi, descendendum erat primo ad generationes elementorum, ex quibus cætera corpora generari solent.

## QVÆSTIO I.

## Quid est Elementum &amp; quot sunt.

**N**on agimus hic de elementis in latissima acceptione, quatenus principium, & initium cuiusque rei solet vocari elementum eius; quo sensu litteræ dicuntur elementa orationis, & propositiones per se nota elementa demonstrationis; sed in alia strictiori, quatenus elementum capitur pro corpore aliquo rationem aliquam specialem habente, ratione cuius dici debet elementum potius quàm alia corpora, quæ ratio specialis hic assignanda est.

*Arriaga*, reiecta descriptione Philosophi, describit elementum esse, quod una tantum ex primis qualitatibus constet. *Hæc descriptio non placet primò*, quia supponit non dari alias qualitates plures quam duas; ex hoc enim solum sequitur quod elementum quodlibet non haberet duas qualitates; sed hoc suppositum est falsum, ut postea videbitur. *Secundò*, quia licet quodlibet elementum solum constaret una ex primis qualitatibus, tamen non ex hoc formaliter haberet esse elementum: nam esse elementum competit ipsi, quatenus habet aliquo modo rationem principij aliarum rerum, ut omnes fatentur: ergo per hæc descriptionem non declaratur sufficienter ratio elementi ut elementum est, quamvis describeretur ratio rei, quæ est elementum, quatenus distinguitur ab omnibus aliis rebus, quæ non sunt elementum.

*Confirmatur*, quia si quis vellet describere risibile dicendo, quod esset illud quod esset rationale; quamvis reuera describeret re illam, quæ est risibile, quatenus distinguitur ab omni alia re, quæ non est risibile, tamen certum est quod non describeret illam ut est risibile formaliter: ergo idem dicendum in proposito. Et per hoc patet quod male describeretur elementum esse quod exigeret duas ex primis qualitatibus, quam descriptionem idem *Arriaga* refutat ex eo quod supponat non dari nisi duas primas

qualitates, & consequenter falsum esse quod quodlibet ex mixtis postulet duas ex primis qualitatibus: sed hoc suppositum illius est falsum.

## CONCLUSIO I.

**2. Bene describitur Elementum, de quo hic agitur, esse corpus in quod alia corpora dividi possunt, in quibus actu, vel potentia continetur; cum tamen ipsum in alia corpora specie diversa dividi non possit.** Hæc est communis cum Philosopho 3. de celo tex. 31. contra *Arriagam*, quem miror à communi Philosophorum opinione absque meliori, quam ipse affert, impugnatione recedere.

*Probat*ur, quia & declarat hæc descriptio naturam elementi, quatenus habet rationem principij ac elementi; & omni ac soli cõpetit absque superfluitate, ut patebit exponendo singulas particulas. Dicitur corpus, ut ostendatur elementum, de quo agimus, esse corpus, & per hoc distinguatur à materia, & forma substantiali, quæ quatenus sunt principia prima, ex quibus omnia corpora naturalia fiunt, possent vocari elementa corporum naturalium. Dicitur, in quod alia corpora (intellige generabilia, & corruptibilia) dividi seu resolui possunt, via generationis, & corruptionis, quatenus ex aliis corporibus corruptis generari potest elementum. Dicitur etiam, in quibus actu vel potentia insunt, tum ut significetur, quomodo habeat elementum esse principium aliorum corporum, quatenus scilicet in illis continetur aliquo modo: tum etiam ut sciatur, quod licet unum elementum ex alio fieri possit, tamen unum in aliud dividi, aut resolui non possit, quia scilicet unum in alio non continetur actu aut potentia. Ad hoc autem ut aliquid in aliud resolui possit proprie, illud in quod resolvitur debet actu aut potentia contineri in eo, quod in ipsum resolvitur: unde licet ex aère fieret ignis, tamen ignis non resolvitur, nec dividitur in aërem, quia aër non continetur actu, aut potentia in igne; resolutio autem, & divisio est in ea quæ continetur in resolutum, aut diviso. Dicitur actu vel potentia, ut abstrahatur à controversia inferius examinanda, an scilicet elementa actu, & formaliter contineantur in mixtis; an vero in potentia tantum seu virtualiter. Dicitur, cum tamen ipsum in alia corpora specie diversa dividi non possit, quia si posset sic dividi, non esset primum elementum, sed potius illa alia corpora, in quæ dividi posset. Dicitur, in corpora, & non in res, aut substantias, quia elementum corporeum quodcumque potest dividi in materiam, & formam, quæ sunt res & substantiæ; non vero corpora, hoc est constantia materia, & forma. Dicitur denique, specie distincta, quia possunt elementa dividi in partes integrantes suas, quarum quælibet est corpus; quia vero non habent partes integrantes diversæ rationis, propterea nequeunt dividi in corpora specie distincta.

**3. Obicit Arriaga**, alia corpora non componi ex elementis, nec elementa esse minus divisibilia in alia corpora.

*Sed hoc ipsum*, quod est directe contrarium definitioni præmissæ, & propterea negandum ab omni assertore definitionis, probare certe deberet hic *Author*; nec quidpiam magis ridiculum est ad impugnandam aliquam sententiam, quam assumere oppositum eius absque ulteriori probatione.

*Verum in forma respondeo* negando illam propositionem *Arriaga* quoad utramque partem. Nec certe possent elementa habere rationem elementorum vlla ratione potius quam alia corpora nisi essent principia aliquo modo constituentia alia corpora, nec essent prima elementa, si eodem modo possent dividi, & resolui in alia corpora, quo alia corpora possunt in ipsa; ergo alia quæ sunt constitutiva aliorum corporum, & aliquo modo minus divisibilia quam alia corpora. Quomodo autem constituent alia corpora, & quomodo non sint indivisibilia in alia corpora melius videbitur inferius, dum agetur de modo quo mixta constituuntur ex elementis.

## CONCLUSIO II.

**4. Quatuor tantum dantur elementa, nempe ignis, aër, aqua, terra.** Hæc etiam est communis cum Philosopho hic.

M m m 2

Probat

Quatuor tantum sunt elementa.



*Probant Complutenses*; quia ex primis qualitatibus, verbi gratia frigore, calore, humiditate, siccitate, quatuor tantum combinationes naturales fieri possunt, scilicet, calidum & siccum, calidum & humidum, frigidum & humidum, frigidum & siccum: ergo tantum sunt constituenda quatuor prima corpora, quibus prædictæ combinationes conuenire possunt connaturaliter.

Probant antecedens, quia quamuis duæ combinationes possint ex prædictis qualitatibus fieri, ut frigidum & calidum, humidum & siccum, hæc tamen non possunt alicui corpori simplici esse connaturales.

*Verum hæc probatio*, nisi aliunde perficiatur, nullo modo sufficere potest: *Primo*, quia dubitari posset de consequentia; ad cuius valorem probari deberet, quod combinationes illæ, quæ possunt fieri ex illis, debeant solis elementis competere, quod supponunt hi authores, sed probatione valde indiget. *Secundo*, quia, si darentur corpora, in quibus reperirentur primæ qualitates sic, ut cuiuslibet vna tantum ex illis cõpeteret, illa sine dubio essent elementa tam bene, quam ea, quibus duæ ex illis competere. *Tertio*, quia illæ ipsæ combinationes quatuor possunt habere latitudinem maiorem & minorem, ita scilicet, ut vni corpori duæ ex illis qualitatibus in summo competant, & alij vna ex illis in summo, & altera in remisso; & alij vtraque in gradu remisso: sed corpora, quibus sic competere, essent elementa, non minus quam quatuor illa, quæ de facto sunt, & essent diuersæ speciei inter se non minus, quam mixta corpora, quæ exigunt quatuor qualitates primas, sunt diuersæ speciei inter se ex eo, quod exigunt illas qualitates secundum diuersam extensionem. Nec vim huius rationis eneruat quod respondent *Complutenses* num. 11. & 12. ut leuiter consideranti patet, nec consequenter opus est ut hic particularius demonstretur.

5. *Probari solet conclusio secundo ex Philosopho*, ex eo, quod sint quatuor loca infra cælum; summum quod tãgit cælum, infimum quod est centrum terræ, alterum propè summum, & alterum propè infimum: ergo quatuor tantum dantur elementa, quorum vnum, quod est summæ leuitatis, postulat esse in loco summo, nempe ignis; alterum quod est summè graue, in loco infimo, nempe terra; tertium, quod est mediocriter leue, in loco propiori ad summum, ut est aer; & quartum, quod est mediocriter graue, in loco propiori ad infimum, nempe aqua.

*Hæc etiam probatio* per se non sufficit; *Primo*, quia non constat quin corpus mixtum posset exigere esse in loco summo, & etiã in loco infimo; & sane lapis grauis æque bene descenderet naturaliter ad centrum terræ, ac terra ipsa, si non poneretur obstaculum: ergo ex locis non sequitur dari quatuor elementa. *Secundo*, quia infra locum summum & infimum, quantum ad rationem, nihil impediret, quo minus vnum tantum elementum posset occupare totum locū medium; & si hoc esset verum, tria tantum darentur elementa. *Tertio*, quia sicut possunt assignari duo loca, vnus in tanta propinquitate, & alius in maiori vel minori; & possent dari corpora distincta, quæ peterent occupare illa loca ex maiori vel minori leuitate aut grauitate sua: ergo possent ex locis repertis in vniuerso æque concludi plura elementa, ac quatuor. *Quarto*, quia non constat dari quatuor loca distincta occupabilia ab elementis magis quam duo, nisi quatenus constat dari quatuor elementa, quæ occupant omnia loca sub cælo, & occupant loca distincta: ergo potius ex quatuor elementis deberent probari illa loca, quam ex illis locis quatuor elementa.

6. *Melius ergo probatur conclusio*, quia de facto datur aer, ignis, aqua, terra, quorum quodlibet est elementum, & nihil aliud de facto datur, quod sit elementum: ergo quatuor tantum sunt elementa: consequentia est euidentis. Antecedens quoad primam partem est etiam euidentis, & probatur quo ad secundam, quia quodlibet aliud corpus constat ex illis, & est resolubile in illa; nec vllum ex illis est resolubile in alia corpora: ergo quodlibet ex illis est elementum.

Probatur etiam idẽ antecedens, quoad tertiam partẽ,

quia nullum aliud corpus potest assignari, quod non sit resolubile in alia corpora specie distincta: ergo nullum aliud corpus est elementum.

*Confirmatur hoc*, quia in quolibet ex cæteris corporibus reperiuntur qualitates connaturales primæ horum quatuor, ut calor, frigus, humiditas, siccitas: ergo vel virtualiter, vel formaliter reperiuntur hæc quatuor corpora in aliis corporibus: sed in nullo ex his reperiuntur omnes qualitates connaturales primæ aliorum corporum: ergo alia corpora non continentur aut formaliter, aut virtute in his, & consequenter hæc quatuor erunt elementa; cætera vero corpora non erunt.

7. *Obicitur*: ex igne fit aqua, & aer, quæ sunt specie diuersa: ergo ignis est resolubilis, & diuisibilis in corpora specie diuersa, & consequenter non est elementum.

Probatur consequentia, quia eatenus mixtum dicitur esse resolubile in specie diuersa, quia ex ipso possunt fieri corpora specie diuersa: ergo si ex igne possunt fieri corpora specie diuersa, erit resolubilis, ac diuisibilis in specie diuersa.

*Respondeo* negando consequentiam cum antecedenti suæ probationis: non ideo enim præcise id dicitur; sed quia ex ipso sunt corpora specie diuersa, quæ in ipso met cõtinentur virtualiter, aut formaliter. Quamuis autem aer, & aqua possint fieri ex igne, tamen non continentur formaliter, aut virtualiter in igne, & propterea ignis non debet dici esse diuisibilis, aut resolubilis in illa.

*Dicitur*: non fierent ex ipso, nisi continerentur in ipso: ergo cum fiant ex ipso, debent contineri in ipso, aut virtualiter, aut formaliter: ergo falsum est quod sic in ipso non contineantur.

*Responderetur* distinguendo antecedens: nisi contineantur in ipso, quatenus possunt educi ex potentia materiæ ipsius, concedo antecedens: quatenus ipsæmet formaliter in ipso met igne continerentur, aut quatenus ipsorum virtutes, hoc est qualitates primæ, quas connaturaliter exigunt, in ipso formaliter reperiuntur, nego antecedens. Quando ergo dicimus quod elementa non contineant alia corpora formaliter, aut virtualiter, sensus huius est, quod alia corpora, nec secundum se formaliter, nec secundum qualitates suas primas connaturales ipsis contineantur actu.

### CONCLUSIO III.

8. *Quatuor elementa non sunt ita simplicia, quin componantur non solum ex partibus metaphysicis, sed etiam ex partibus physicis, materia scilicet, & forma substantiali.* Hæc est communissima inter omnes Peripateticos contra aliquos antiquos, & modernos, quos citat, & sequitur *Camerarius* p. 2. g. 1. existimans elementa esse materiam primam.

*Probatur primo*: experientia constat ignem de nouo produci & extinguí, etiam per virtutem causarum secundarum: sed hoc esset falsum, si esset materia prima, aut si non constaret materia prima, & forma substantiali.

Probatur minor tum quia materia prima non est generabilis, nec corruptibilis, tum quia agens creatum nequit producere aliquid, nisi dependenter à subiecto, ut patet ex principiis quibus collegimus in Physica dari materiam primam.

*Probatur secundo*: quia si elementa essent materia prima, darentur quatuor materiæ primæ sublunares distinctæ rationis, & præterea materia prima daretur naturaliter absque vlla forma substantiali.

9. *Obicitur ex Camerario*: elementa sunt ingenerabilia, & incorruptibilia: ergo nõ distinguuntur à materia prima: ideo enim distinguenter, quia non essent ingenerabilia & incorruptibilia, sicut illa debet esse.

Probatur antecedens, quia nec aer conuertere potest in se ignem, nec ignis aerem, nec aqua potest conuerteri in ignem, aut etiam terra; quod satis fuscè ipse conatur ostendere: ergo.

*Sed miror sane* tam leui fundamento innixum hunc authorem à communissima doctorum sententia recedere.

*Respondeo*



*Respondeo* autem negando antecedens: & quidquid sit de antecedenti, quod ab *Arriaga* expresse defenditur, quamvis non negauerit propterea nostram conclusionem, nego consequentiam: quamvis enim non possent conuertere se in se inuicem immediate, non inde sequitur quin sint generabilia & corruptibilia per alias causas; & generatio & corruptio ignis tam nota est experientia, quam vlla prorsus generatio & corruptio, vt mirū sit hunc authorem hanc sibi experientiam non obieciisse, si eam soluere potuerit; & si non potuerit, ob eam non reliquisse suam sententiam, quæ defendi nequit nisi eā soluta. Innuit quidem in responsione ad replicam tertiam, ignem de nouo non produci, sed inclusum in mixto ab ipso separari. At prorsus incredibile est ignē illum immēsum, qui ex puluere tormētario aut stramine fit, inclusum fuisse actualiter in puluere aut in stramine isto: & quamuis admitteretur elementa omnia esse formaliter in mixtis; tamen tantā esse quantitātē elementi ignis in puluere aut stramine, quantus produciatur ex puluere, aut stramine, aut carta, non potest cū vlla probabilitate asseri: & deinde nō est credibile quod totus ille ignis remaneat in corporibus illis, quæ ex igne extincto generantur. Adde falsum esse quod elementa maneat formaliter in mixto, vt postea probabitur.

## QVÆSTIO II.

*Quomodo elementa continentur in mixtis.*

10. *Suppono primo*, ex dictis, elementa esse corpora composita ex materia prima, & forma substantiali: quamvis enim ex illis ipsis authoribus, qui elementa distinguunt à materia prima, aliqui putauerint illa constitui in esse elementis, non per formam substantialem aliquam, sed per ipsasmet qualitates primas; tamen ex omnibus principiis, ex quibus constat dari formas substantiales in mixto distinctas à materia prima, constat etiam dari formas substantiales in elementis. Imo vtimur communiter ad probandam formam substantialem experientia, qua constat nobis quod aqua calida reducat se ad pristinum frigus, quod non posset facere nisi haberet formam substantialem: & certe si dubitaretur de hoc, non posset saltem dubitari, quin debeat habere supra materiam primam, aliquam formam distinctam à qualitatibus primis, ratione cuius reducat se ad pristinum statum frigoris: & consequenter dubitari non potest quin elementum aquæ (& idem est dicendum de reliquis) constitutur in esse talis elementi per illam aliam formam potius, quam per primas qualitates.

*Nec refert quod opponunt aduersarij*, formas non cognosci nisi ex operationibus: sed nullas habent operationes elementa, nisi quæ conueniunt ipsis ratione primarum qualitatum: ergo non habent alias formas, quam primas qualitates.

*Respondetur* enim facile negando minorem; ignis enim habet producere alium ignē, quod non competit ipsi ratione primarum qualitatum præcise. Deinde aqua habet reducere ad se frigus deperditum: hoc autem nō cōpetit ipsi ratione frigoris, aut vllius alterius primæ qualitatis.

*Suppono secundo*, elementa altero ex duobus modis solum posse reperiri in mixtis, vel secundum entitatem suā substantialem, ita vt formaliter quodlibet ex illis sit in quolibet mixto, in ligno, verbi gratia, & homine, ignis, aer, aqua, terra cum materia prima, & formis suis substantialibus propriis; vel solum secundum virtutem suā, quatenus scilicet qualitates primæ, quæ sunt virtutes elementorum, quia per eas agunt, & disponunt alia corpora ad generationem, & corruptionem, reperiuntur in quolibet. Si primo modo reperiuntur in mixto, debent dici esse in mixto formaliter; si secundo tantum modo, non debent dici esse in mixtis nisi virtualiter.

## CONCLUSIO I.

12. *Elementa non manent formaliter in mixto.* Hæc est communissima Peripateticorum cum Doctore in 2. dist. 15. & Philosopho hic, ac in libris de celo, quos sequitur *Arriaga*

disp. 2. Phys. sect. 1. contra *Auicennam*, *Philippinum*, *Albertum Magnum*, & plures alios, quos citat, & sequitur *Camerarius* p. 2. q. 2.

*Probatur primo*, quia si elementa manerent formaliter in mixto, vel essent in qualibet parte mixti; vel vnum in vna, & alterum in altera: sed neutrum dici potest: ergo.

*Probatur minor*, quia non quodlibet in qualibet parte, quia alias duæ substantiæ penetrarent se inuicem naturaliter: & præterea manifeste patet aquam, & ignem non compati simul, sed ad applicationem vnius corrumpi alterum; non etiam vnum in vna, & alterum in altera parte: tum quia experientia constat omnes partes integrales mixtorum esse mixtas, & nullam partem ex illis esse vllum ex elementis; tum etiam quia ignis & aqua non compatiuntur se contigue.

*Probatur secundo*, quia ignis magnus fortius resistere potest contrariis destruentibus, & diutius se conservare quam parvus: sed ignis quantumvis magnus nequit diu perseverare apud nos absque pabulo; ergo neq; parvus. Sed si daretur ignis in mixto verbi gratia in homine, aut ligno, aut lapide, maneret ibi absque pabulo: ergo non datur, & consequenter elementa non manent formaliter in mixto.

*Confirmatur*, quia exigua scintilla potest accendere magnam quantitatem pulueris tormentarij; ergo posset etiam accendi ab igne in ipso mixto incluso, si includeretur in illo, & consequenter quandoquidem non accendatur ab illo, debet dici quod non includatur in ipso.

13. *Probatur tertio*, quia si elementa cum suis formis substantialibus manerent formaliter in mixto verbi gratia in lapide, vel simul cum illis in mixto reperiretur alia forma substantialis, vel non daretur. Si non daretur, ergo omnia mixta sunt eiusdem speciei. Si daretur, ergo nullum elementum est substantia completa, quandoquidem posset ulterius compleri per formam substantialem superuenientem. Et præterea, ergo vna forma potest subiectari in subiectis realiter distinctis: illa enim forma substantialis superueniens elementis subiectaretur in omnibus elementis, quod omnino apparet absurdum.

*Nec satisfaciunt*, quod dicit *Camerarius*, vnam formam posse subiectari in multis faciendo ipsa vnum per se, licet non possit subiectari in multis non faciendo ipsa vnum per se. Non satisfaciunt, inquam. *Primo*, quia non potest assignari ratio cur vna forma possit subiectari in multis faciendo ipsa vnum per se, & non possit subiectari in illis non faciendo ipsa vnum per se. *Secundo*, quia nulla forma superueniens pluribus potest facere, quin illa sint plura, quamvis forte posset facere forma superueniens, vt aliqua plura constituent vnum per se.

*Confirmatur probatio hæc*: quia illa forma superueniens formis elementorum se sola sufficeret cum materia elementorum absque formis elementorum: ergo non est dicendum quod cum illa forma maneat formæ elementorum.

*Probatur denique*, quia quando generatur mixtum, vt adunarentur elementa formaliter in ipso, vel elementa antecedenter existentia in ipso adunarentur, vel alia elementa de nouo in ipso producerentur: neutrum dici potest: ergo.

*Probatur minor* quoad primam partem, quia non sunt applicata alia elementa, quoties producantur mixta, quæ sic adunarentur: & per hoc ipsum probatur minor quoad secundam partem, quia si non sint applicata, non adsunt alia causæ, quæ de nouo producerent elementa omnia.

*Obijciunt primo*. Proprietates elementorum, verbi gratia primæ qualitates, sunt in mixtis actualiter: ergo & formæ substantiales eorum, & consequenter ipsamet.

*Respondeo*, distinguendo antecedens: in ea intentione, in qua sunt proprietates physicæ elementorum, nego antecedens; in alia intentione, concedo antecedens & nego consequentiam.

*Obijciunt secundo*: vnumquodque componitur ex iis formaliter, in quæ potest resolui formaliter: sed mixtum